

1.
1.
2.
3.
4.
5.
170
1.
g
g
=



1702.

1. Bierling, Fridricus, Wilhelmus: De causis: cur nonnulli crediti nihil in lucum emisissent?.
2. Restorani, Henr. Er.: De jure humaniore Codicis.
3. Restor, Henr. Ern.: De summis in imperio Romano Germanico personis eorumque officiis et juribus.
4. Restor, Henr.: De pietate in jure
5. Coelenius, Henr. Ern.: De jure singulari

1703.

1. Restor, Henr. Ernest: De lana Caprina.
occur. l. 70 § 9 ff. de leg. 3.
- 2^o Ludewigius, Amicus: De eo, quod justum est circa consensum minoris partis, et non teneatur stare majori, nec majori minori praesudicare valeat. 2 Sempt. 1703: 1743.
- 3^o = Gobius, Hermannus: Thema: quod simpliciter creditus penitentiae nequitiam ad pretii restitutionem agi possit? 2 Sempt. 1703: 1744.

1704.

1. Kestnerus, Henr Ern: De delictis juvenutatis
- 2^{a. t.} Kestnerus, Henr Ernest: De jure commagii

1705

1. Kestnerus, Henr Ern: Mixtura Thesiam controvers.
suum . . .
- 2 Kestner, Henr. Ernest: De Romano, deficiente jure
statu tario aut provinciali, non esse aliena sua
in casibus, ali aut rationi aut aequitati refugiat.
3. Gollius, Hermannus: De eum reservatio

1706

1. Engelbrecht, Johannes Wilhelmus: De jure potestatum
capitalium in honoribus dolo.
- 2^{a. t.} Kestner, Henr Ernest: De jurisprudentia regis
Juridis in potestatem RV.
3. Kestnerus, Henricus Ernestus: De testamentis personarum
Mustrorum.

1709.

1. Kestner, Hen. Ernst: Omne jus esse jus reale.
2. Kestner, Hen. Ernst: Hinc inde jus. Inimicis, extrinsecis
Casum practicum cum rationibus extrinsecis et seculi
dandi.
3. Kestner, Hen. Ernst: De naevis quibusdam circa
materiam de pactis
4. Ludewig, Conradus: de juramentis nullis.
5. Zollner, Hermannus: De generibus intellecta legiit
ff. de hered. vel. act. vend. contra communem
interpretationem et sententiam: quasi ven. ditor
nominis tantum verum non bonum nomen praestare
solvatur.
6. Zollner, Hermannus: De proceissa praestatione
rei debitorum.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]









57730
153
172
1705, 1.
Dissertatio Juridica Inauguralis,

Siftens

**MIXTURAM
THESIUM CON-
TROVERSARUM**

Cum

PROBLEMATÉ JURIDICO (3)
DE REFORMANDA JURISPRUDENTIA,
QUAM

Divino annuente Numine,

EX DECRETO AMPLISSIMI JCTORUM ORD'NIS,
IN ILLUSTRÍ ACADÉMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,
PRÆSIDE

DN. HENR. ERN. KESTNERO,

Doct. & Profess. Jur. Ordin.

**PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS**

Ritè consequendis,

*Publicæ Excell. Dn. Dn. Professorum ventilationi
subjicit*

CHRISTOPHORUS COTHMAN,

Neuhusio-Paderbornensis,

In Auditorio Jctorum die 23. Octob. 1705.

~~—————~~
RINTHELII,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

Dissertatio Juridica Inauguralis

MIXTURAM
THESIUM CON-
TROVERSARUM

PROBLEMATI IURIDICO
DE REFORMANDA IURISPRUDENTIA

Divino auspicio Nurnbergae
et decreto Amplissimi totius ordinis
in Illustri Academia Hassio-Schulenburgica
PRAESIDE

DR. HENR. ERN. KESTNERO


Doc. & Prof. Jur. Ordin.
PRO SUMMIS IN UTROVE IUR. HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

Publici Excell. Du. Du. Professorem venturissimum

CHRISTOPH. COTHMAN

in Auditorio Johanneo die 27. Octob. 1771
RINTHELI
Typ. de Herzmann Augustini F. nax, Acad. Typogr.





THESIS I.

Urisprudentiæ vis, fons, & fundamentum in legibus divinis & humanis rectè ferendis, intelligendis, interpretandis, & applicandis, ita, ut illud cuique suum tribuatur, & Societas, arctissimum illud generis humani vinculum, in tranquillo & pacifico statu conservetur, consistit.

THESIS II.

Jus omne validissimam involvit obligationem, & sine hac intelligi nequit.

THESIS III.

Principia honesti & decori ad Philosophiam moralem, seu virtutem spectant, plenissimamque in foro poli, non solum obligationem, quam alii internam vocant, tenent.

THESIS IV.

Uti summa reipubl. potestas legum positivarum, ita sanctissima Dei circa agenda & non agenda voluntas, quæ ex facto creatoris apertissime constat, Juris tum naturalis, tum divini firmissimum principium est.



THESIS V.

Datur Jus permisivum.

TH. VI.

Ex Jure Divino, inprimis naturali, declarantur, restringuntur, suppleantur Jura Humana. *Grot. de jure belli & pacis l. 2. cap. 16. §. 26. Pufend. de offic. hom. & Civ. lib. I. c. 17. §. 12.*

TH. VII.

Jus Civile in subsidium saltem consuetudinum & legum Germanicarum antiquarum receptum, ita, ut deficientibus legibus aut consuetudinibus Germaniæ ad ejus oracula recurri possit. *Illustr. Dn. de Kulpis diss. epist. de German. leg. veter. & Roman. Jur in republ. nostra origine & auctor. Monzamb. de statu Imper. German. c. 5. §. 13. Thomafius in vind. de exiguo pand. usu in foro Germanico.*

TH. VIII.

Recessus Imperii Imperatorem & Status vi conventionis, subditos vi legis obligant, neque arbitrio singulorum Statuum mutari possunt in illis, quæ Statum Imperii Communem concernunt, in controversiis tamen privatorum, aut processu à statibus in ipsorum terris illis derogari & potest & solet, *vid. Instrument. Pac. Osnabr. art. 8. §. 1. Kulpis de unitate Reip. c. 3. §. 14.*

TH. IX.

Fundamentum obligandi in legibus positivis est convenientia vel disconvenientia cum utilitate Reipubl., declarata per superioris voluntatem, quam salutem publicam leges humanæ non excedere,



cedere, sed eidem prorsus concordare debent.

TH. X.

Leges positivæ in conscientia obligant.

TH. XI.

De Jure Canonico ad consuetudinem, quæ præter jus recepta est, introducendam decennium, quæ verò contra jus tendit, 40. anni requiruntur. *c. 15. X. de præscript.*

TH. XII.

Æquitas propriè non est jus aliquod non scriptum, sed vel ipsum jus naturale, aut interpretatio in Jure Naturali fundata.

TH. XIII.

Observantia, conventionem inter aliquos tacitè (ex recepto agendi modo, consensu paciscentium collecto) inram significat, in Jure Publico exprimitur durch das Reichs herkommen. *Conf. Kulpis diff. de observant. Imperii.*

TH. XIV.

Unicus interdum actus ad consuetudinem introducendam sufficit.

TH. XV.

In probandâ partus vitalitate emissio vocis non requiritur.

TH. XVI.

Princeps Christianus cum Turcis & Infidelibus foedera optimo jure inire, quin Eorum auxilio contra ipsos Christianos uti potest. *dissentit Zoef. ff. de justit. & jur. num. 42. consentiunt Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2. cap. 15. §. 7. Reinking. de regim. secul. class.*



class. 3. cap. 3. num. 33. Limmaeus ad Capitulat. Caroli V. art. 11.

TH. XVII.

Promissio præsentis & tacenti facta ante acceptationem nullam habet vim, nullumque robur.

TH. XVIII.

Si creditor ex sibi datis pluribus unius debiti tabulis, unam fortè debitori reddiderit, eo ipso non censetur debitum remissum. *dissent. Lauterbach. ff. de pactis pag. m. 44.*

TH. XIX.

Judex accusatum, & Judicio legitimè convictum, de cujus tamen innocentia judici privatim constat, non potest secundum acta & probata in causis criminalibus arduis condemnare. *dissent. D. Thomas 2. 2. quæst. 67. art. 2. Covarr. & quam plurimi.*

TH. XX.

Judex non potest arbiter eligi in causâ, quæ ad ipsum Jure ordinario pertinet. *Struv. ad ff. exercit. 8. th. 99.*

TH. XXI.

Propter supervenientem litigantis furorem commissum non solvitur. *dissent. Blanc. de compromiss. rubr. quæst. 7. num. 16.*

TH. XXII.

Reus in foro contractûs conveniri nequit, nisi ibi reperiatur.

TH. XXIII.

In foro domicilii etiâ possessoriæ actiones moveri possunt.

Th. xxiv.



TH. XXIV.

Delinquens, si fugiat ad alium locum, tam in loco delicti, etiam si absens, quam ubi reperitur, conveniri potest.

TH. XXV.

Lecti in diversoriis perpetui usus gratia existentes, quin & molendina pneumatica rebus immobilibus accensentur.

TH. XXVI.

Jurisdictio criminalis extra casus absentiae & infirmitatis mandari non potest.

TH. XXVII.

Castro cum Jurisdictione in feudum concesso, criminalis Jurisdictio concessa non intelligitur.

TH. XXVIII.

Insinuationes donationum coram Judice incompetente fieri possunt. *dissentit Vand. l. var. quest. II. Wissenbach. disp. 16. th. 13.*

TH. XXIX.

An praesentes in causa, ad quam citati non sunt, in judicio respondere teneantur, disquiritur, & nos negamus. *dissentit. Gail. l. obs. 51.*

TH. XXX.

Citatio in causis notoriis omitti non potest. *dissentit Menoch. de arbitr. Jud. quest. lib. I. cap. 17. num. 15.*

TH. XXXI.

Reus actori tum instrumenta edere cogitur, cum de actoris replicatione probanda agitur.

Th. XXXII.

THESIS XXXII.

An advocatus notoriè justam causam habens, adversarium præfactum atque obstinatum fraudibus & fallaciis vincere queat, quærunt, & nos negamus, *dissent. Mynsing. 3. obs. 6.*

Th. XXXIII.

Advocatus integri anni salarium, si initio anni moriatur, ad hæredes transmittit. *diff. Umrig. in proc. civ.*

Th. XXXIV.

Transactio ex l. 2. C. de rescind. vendit. rescindi non potest, etsi alter ultra dimidium sit læsus.

Th. XXXV.

Clericus minor in renunciatione beneficii læsus restituitur, perinde ut alii minores, etiamsi res non sit amplius integra, & beneficium alteri jamtum collatum. *Covarr. 1. var. resol. cap. 5. n. 3.*

Th. XXXVI.

Minor juris ignorantia lapsus, si Juris Doctor sit, in integrum non restituitur. *dissent. Gomez. 2. var. resol. 14. num. 5.*

Th. XXXVII.

Minor contra impetratam ætatis veniam restitui potest.

Th. XXXVIII.

Majoribus propter solam ignorantiam restitutio contra præscriptionem non datur. *Struv. ff. exer. 8. l. 76.*

Th. XXXIX.

Minor curatorem habens, & absque eo paciscens non obligatur. *diff. Cujac. ad l. 101. ff. de V. O.*

Th. XL.

De Controversiis, quæ occasione ultimæ voluntatis emer-

emergunt, transigi potest, testamenti verbis non inspectis, nec cognitis. *dissent. commun.*

THESIS XLI.

Qui bonis cedunt, infamiam non contrahunt.

Th. XLII.

Dolus bonæ fidei contractui causam dans, hunc ipso jure reddit nullum, neque rei ex tali causâ traditæ dominium in accipientem transit. *diff. Lauterbach in compend. pag. m. 71.*

Th. XLIII.

Hæres rem suam à defuncto venditam, ab emptore vindicare nequit.

Th. XLIV.

Possessor bonæ fidei, si ante litem contestatam possessionem, licet latâ culpâ, amiserit, tamen tenebitur, culpa enim lata pro dolo habetur *l. 226. ff. de verb. signif.*

Th. XLV.

In rei vindicatione actor pretium, quod reus pro re solvit, restituere non tenetur, etiamsi reus illam in foro, & quidem cum hac expressâ protestatione, quod eam domino restituere velit, emerit.

Th. XLVI.

Si idem non dominus rem eandem pluribus vendiderit, datur publiciana ei, cui prius est tradita, si diversi non domini vendiderint, potior est causa possidentis *l. 9. §. 4. ff. de publ. in rem. act.* Si tertius possideat, tum prior accipiens præfertur.

Th. XLVII.

Mala fides superveniens & civili & canonico
B Jure

Jure non excludit publicianam.

Th. XLVIII.

Per cessionem tollitur usufructus, quamvis ea extraneo facta sit.

Th. XLIX.

Usufructus civitati relictus expirat 100. annis.

Th. L.

Usufructus verbis conjuncto non accrescit.

Th. LI.

Qui servitutem habitationis habet, eam locare, non donare potest. *l. 10. ff. l. 13. C. de usu & habitat.*

Th. LII.

Ut spatium liceat in alieno servitus & realis & personalis constitui potest.

Th. LIII.

Si liber homo occisus fuerit, hæredes, atque vidua ejus de damno dato contra occisorem rectè agere possunt. *diss. Lauterbach pag. 143.*

Th. LIV.

In actione legis Aquiliæ indistinctè culpa levis-
sima præstat, non verò locum habet, quando omit-
tendo damnum datum.

Th. LV.

Provocanti vulnerato actio ad expensas & in-
teresse non datur.

Th. LVI.

Qui agit contra vicinum, in cujus aedibus ignis
exortus, probare tenetur ipsius culpam. *arg. l. 3. §. 1.
ff. de offic. prefect. vig.*

Th. LVII.

Th. LVII.

Qui justo metu ductus avertendi incendii causâ ædes alterius destruxit lege Aquiliâ non tenetur, *diff. Schottan, ad ff. disp. 28. th. 7.*

Th. LVIII.

Deformitas & dolores in Judicium legis Aquiliæ non veniunt, sed hoc nomine injuriarum quis agere potest, *arg. l. 5. ff. ad l. Aquil.*

Th. LIX.

Filiusfam, ne quidem in foro conscientiæ, acceptum mutuum, solvere tenetur, si tamen solutâ potestate patriâ vel totum, vel partem debiti solverit, exceptionem S. C. Macedoniani non habebit.

Th. LX.

Quando filius peculium adventitium irregulare habet, non utetur S. C. Macedoniano, cum de suo jam solvere possit. *diff. Lauterbach. pag. 249.*

Th. LXI.

S. C. hoc in ipsis quoque principum filiis rectissime locum tenet.

Th. LXII.

Judicium finium regundorum ex delicto vel quasi resultat. *§. pen. Inst. de offic. jud. §. 3. 4. Inst. de oblig. que ex quasi contract.*

Th. LXIII.

Quando in divisione hæreditatis, per sententiam Judicis factâ, immodicè quis læsus fuerit, restitutionem ejus nomine petere potest. *arg. l. 2. C. si advers. sentent. diff. Lauterbach. Carpz. & Hahn*



Th. LXIV.

Divisione hæreditatis à privatis factâ, omnis, quin etiam, quæ infra dimidium est, inæqualitas corrigitur. *l. 3. C. commun. utriusque jud.*

Th. LXV.

Divisio hæreditatis per fratrem natu majorem fieri debet, concessâ optione fratri minori, *dissent. Vinnius l. select. quest. 35.*

Th. LXVI.

Si divisio à testatore fuerit facta, evictio non erit præstanda cohæredi, *dissent. Bachov, ad Treutl. vol. 1. disp. 19. th. 12.*

Th. LXVII.

Sumptus in studia, libros, doctoratum utiliter impensi filio in portionem hæreditatis, in familiæ exerciscundæ judicio ad ipsum pervenientem computari non debent.

Th. LXVIII.

Sponsione de adventu alterius, quem casus impedit, factâ, vincit negans.

Th. LXIX.

Remedium *l. 2. C. de rescind. vend.* in sponsionibus locum non habet.

Th. LXX.

Pecunia in mutuo restitui debet in eadem bonitate extrinsecâ, quæ fuit tempore contractûs, etsi alia materia sit, modo creditor damnum non sentiat.

Th. LXXI.

Civitas tùm demùm ex mutuo tenetur, si iis, qui eam repræsentant, & quibus specialiter id mandatû, pecu-



pecunia solvatur, ex solutione administratori factâ obligatur civitas, si creditor probet, pecuniam esse in utilitatem civitatis versam, aliâs soli obligantur administratores.

Th. LXXII.

Post biennium exceptio non numeratæ pecuniæ adhuc opponi potest, si debitor onus probandi, pecuniam numeratam non esse, in se suscipere velit. *Struv. exercit. 16, th. 15.*

Th. LXXIII.

Juramentum suppletorium delatum tum recusari potest, quando aliquis alias probationes offert.

Th. LXXIV.

Juramentum affectionis in actione empti locum non tenet. *diff. Lauterb. p. 192. Tabor. de in lit. jur. th. 46.*

Th. LXXV.

Si quis Judici quid dederit, ut in bona causâ secundum se judicet, repeti nequit. *diff. Treutl. disp. 22, th. 3. lit. f.*

Th. LXXVI.

Qui remunerandi causâ errore quid dat, non repetit, *l. 65. §. 2. ff. de condict. in deb.* qui solvendi animo, putans, ex aliâ se debere causâ, repetit.

Th. LXXVII.

Condictio indebiti ob renunciationem expressam non cessat.

Th. LXXVIII.

Contra hæredes furis, etiam si ad illos ex delicto nihil pervenerit, & fur laqueo suffocatus fuerit, condictio furtiva rectè datur. *diff. Dn. Pagenstecher*
in



in scilimentis ad Lauterbach. tit. de condict. furt.

Th. LXXIX.

Commodans, rem corruptam esse, sciens, eamque recipiens, non videtur juri suo pro interesse recipiendo renunciassse.

Th. LXXX.

Pactum commissorium, pignoribus adjectum, statuto, vel consuetudine approbari potest. *dissent. Lauterbach. pag. 232.*

Th. LXXXI.

Valet contractus cum Institore, mortuo præponente, initus, tamen si creditor mortuum sciverit, modo aditâ hæreditate contraxerit.

Th. LXXXII.

Jurata S.C. Vellejani renunciatio valet, licet non probetur, sæminam de hoc auxilio, quid, & quale sit, fuisse edoctam, pariter fidejussoribus exceptio S.C. Vellejani competit.

Th. LXXXIII.

Compensatio in dote etiam locum habet, si in quantitate consistat.

Th. LXXXIV.

Beneficium legis l.2. C. *de rescind. vend.* Scienti valorem rei venditæ non competit. *diff. Fachinaus lib. 2. controuv. cap. 20. & Pinell. ad dict. l. 2.*

Th. LXXXV.

Si eadem res duobus diversis temporibus locata, posteriori autem tradita, hic merito præferendus. *dissent. Struv. in evolut. exercit. 24. th. 20.*

Th. LXXXVI.



Th. LXXXVI.

Duobus hæredibus institutis, si unus pro parte sua adierit hæreditatem, portionemque suam tertio vendiderit, alter hæres autem post factam venditionem nolit, aut non possit esse hæres, an emptori? an cohæredi venditori pars vacans accrescat? disquiritur, & nos hæredis partes sustinemus. *diff. Perez. in C. de hæred. & act. vend. num. 15.*

Th. LXXXVII.

Debitor, qui majores usuras promisit, si minores per triennium solverit, liberatur à majoribus. *l. 13. ff. de usur. Struv. th. 47.*

Th. LXXXVIII.

Qui solvit debitum alienum, putans esse suum, habet utilem contrariam actionem negotiorum gestorum contra verum debitorem. *l. ult. ff. de negot. gest.*

Th. LXXXIX.

Mulier in repetenda dote omnibus creditoribus, etiam anteriorem expressam hypothecam habentibus, præfertur. *diff. Gail. 2. obs. 25. num. 10.*

Th. XC.

Per matrimonium Avi cum concubina legitimantur nepotes. *diff. Bockelman. ff. de hæs, qui sui vel alien. jur.*

Th. XCI.

Legitimati per subsequens matrimonium succedunt in feudis. *diff. Carpz. synops. jur. feud. 5. th. 34.*

Th. XCII.

Matrimonium patriam potestatem non tollit.

Th. XCIII.



Th. XCIII.

Prælatuſ hæreditatem Eccleſiæ delatam, aut legatum eidem relictum repudiare non poteſt. *diff. Zoef. ff. de acquir. vel omitt. hered.*

Th. XCIV.

Pater beneficio legis ſi unquam C. de revocand. donat. ſi ſupervenientibus liberis legitima ſit ſalva, renunciare poteſt. *diff. Gail. 1. obſ. 40. num. 13.*

Th. XCV.

Debitore principali ſæpiùs interpellato, ac demùm facultatibus lapſo, an fidejuſſor, qui intra 30. vel 40. annos nunquàm fuit conventus, poſſit ſe exceptione præſcriptionis tueri adverſus creditorem? controvertitur, & nos negamus. *diff. Carpzov. in deciſ. p. 1. deciſ. 34.*

Th. XCVI.

Subditi contra Dominum recte teſtantur.

Th. XCVII.

Qui compensationem opponit, debitum eo ipſo non fatetur.

Th. XCVIII.


Ob expenſas neceſſarias in contraçtu depoſiti retentione locum habet. *diff. Lauterb. p. 283.*

Th. XCIX.

Licet contrahentibus ſe circumvenire *επιτροχάζειν* non fraudulenter.

Th. C.

Res domini, quarum nomine nauta veſtigal non ſolvit, in commiſſum non cadunt. *arg. l. II. §. 2. l. ult. §. 2. & II. ff. de Publ. & veſtigal.*



Proble-

*Problema Juridicum de re-
formandâ Jurisprudentiâ.*

§. I.

Magnum reip. momentum in justitiâ rectè administran-
dâ consistit, hæc unica causa est, quare Reges, Princi-
pes, omnesque summæ potestates constitutæ, ut in-
violabilia Jura vicario Summi Numinis nomine exercent,
Sanctissima justî & æquî principia, cordibus hominum insita,
ad eò clara, perspicua, & limpida sunt, ut plenissimum ubi vis
assensum adinveniant, & à mortalibus, si principia justî & in-
justî respicias, facilè adimpleri possint, cum tamen hæc ipsa
principia generalissima, & ad infinitos in genere humano
occurrentes casûs definiendos haud adaptata, quin potius
pro diversitate rei, hominumque opinione prolixis jurgiis, &
tædiosis cavillationibus obnoxia sint, adeoque opus erat posi-
tivâ aliquâ Jurisprudentiâ, quæ defectum hunc suppleret, &
innatum litigandi pruritum *amputaret.*

*Necessitas
Jurispru-
dentia Posi-
tiva.*

§. II. Non jam disquiremus, utrum melius sit, remp.
regi per bonos mores, quàm per leges, & certum quidem est,
plus juvare & præstare bonos & incorruptos mores, ex amo-
re boni profluentes, quàm spinosam, & sat molestam legum
farraginem, & hypocriticam vitam, ex metu pœnæ subor-
tam; verùm, ubi sunt boni mores? ubi est cultura morum?
forsan ens rationis, debebamus esse Christiani, sed debeba-
mus, ubi enim Christianismus? ubi purus & incontaminatus
amor inter mortales, ad omne malum celerrimo impetu
proruentes, hæret? opus ergò est legibus, opus est Juris-
prudentiâ. *Confer. Du. Thomaf. disp. morum cum jure scripto
contentio.*

*An boni
mores plus
prestent
quam leges.*

§. III. Inter positiva jura, non sine merito palmam
hactenus tenuit Jurisprudentia Romana, quippè quæ solidis-
sima juris naturæ principia non tantùm sub ambitu suo com-
prehen-

*Laus Juris-
prudentia
Romana.*

C

prehendit, sed etiã felicissimis naturalis Jurisprudentiæ restauratoribus *Grosio & Pufendorfio* in excolendã hac nobilissimã disciplinã, quæ basis, fons, fundamentumque omnis juris existit, amplissimam pro instituto feliciter adornato materiam dedit, imò hæc quotidie orituris libris præscindendis aded sufficere videbatur, ut, si *Duckio* fidem habemus, communis fermè gentium Jurisprudentia nuncupetur.

*Requisita
legum.*

§. IV. Si tamen fateri fas est, quod res est, diffitendum non est, & ipsa rerum, juriumque connexio docet, fortè magnificentius, quàm verius hanc thesin stabiliri. Quod si enim paulò propius indolem ac naturam legum inspiciamus, debet lex clara, perspicua, & utilis esse, prætereaque leges tum reip. genioque populi accommodari, tum in linguã populi conscribi debent: Scilicet debent leges quæcunque statui & formæ reip., non resp. legibus accommodari, mutatã reip. formã, mutantur, variantque leges, & statuta, alias leges monarchia, alias requirit democratia, & quæ huic utiles, illi plerumque inutiles esse solent, mutantur leges cum populi moribus & conditionibus; Miserum est, si sancta justitia inter obscuritatem, atque ambages, inter perplexa, neque absimilia oraculis responsã, inter interpretum dissidia, & fori jurgia & castra urbanæ togæ hæret, ac velut obmutescit. Beata est secundum *Platonem* illa ciyitas, in quã paucissimæ brevissimæque leges regnant, nimirum cum legibus indutum servitium, factumque est, ut, sicut in arte medicã non tam morbis, quàm remediis obruimur, ita in Jurisprudentiã nostrã ex æquo flagitiis ac legibus laboremus. *Hotomannus* in *Anti Triboniano cap. 2.*

*Defectus
Juris Ro-
mani.*

§. V. An verò hæc legum requisita de Jurisprudentiã Romana, seculo nostro applicandã, prædicari queant? valdè ambigo, ut enim taceam, quanta inter Romanos & Germanos morum, legum, & jurium disparitas sit, quis non videt, utilissimum tempus, cujus sola honesta avaritia, quodque addiscendis præstantissimis disciplinis, reip. incrementa promoturis



motoris impendi debebat, heic in casibus non dabilibus, aut vix per seculum contingentibus consumi, vix titulus, vix superest materia, quæ non multas otiosas, & de lanâ caprina sistit quæstiones, quæque adeo nullam utilitatem, nullum in vitâ civili usum, quin potius, ut ipse ait Imperator Justinianus, antiquas exhibent fabulas, defudamus in subtili ocio, & negligimus necessaria, Germani sumus, sed Germanorum Jura nescimus, Germani Germanas leges habere debebamus, verùm quò te veritas, non nisi exotica, & peregrina in omnibus Jurisprudentiæ partibus deprehendes.

§. VI. Felix erat veterum Germanorum status, qui diutissimè non tam ex legibus scriptis, promulgatisque, quam ex receptis moribus patriis, aut ex æquo & bono Jura reddentes, vitam sanctissimam agitarunt, ac, cum postea paucissimas sibi imposuissent leges, omnia brevissimo & planissimo processu, & per paucas audientias terminaverunt, plus enim inibi secundum *Tacitum* boni mores, quam alibi bonæ leges valebant, usus hic vetustate omniumque voluntate comprobatur, facile legis vim, ac sanctitatem obtinebat in populo, qui ex virtute tanquam ex lege vivebat, & suæ naturæ impulsu, non pœnarum, edictorumque metu à deformitate scelerum detinebatur, ipsos legum Interpretes, Judicesque senilis prudentia & pietas, & justitia tanto muneri commendabant, plerisque etiã e populo desumptis, qui legendi, scribendique imperiti solam patriæ consuetudinem callebant. *Hachenberg, in German. med. c. 3. §. 1. & 25.*

§. VII. Franci quidem, Burgundiones, Westrogothi, Ostrogothi, Longobardi varias tulerunt leges, sed pauca hæc erant ac breves, in univèrsam autem usque ad XIII. seculum à Carolinorum temporibus non ex scripto, sed ex receptis moribus, ex bono & æquo sententias pronunciarunt. Circa seculi XIII. initia jus Pontificium, postquam Gregorius IX. Anno 1239. circiter decretales suas edidisset, easque ubivis mandasset observari, statim in Germania in usu esse cœpit,

Statu. Veterum Germanorum.

Leges Germanorum.



quod cum multa, uti videbatur, incommoda pareret, inde sub temporibus Friderici II., Rudolphi I. & seqq. Imper. viri de Juribus patriis conservandis solliciti, mores & consuetudines Germanicas colligere ceperunt, nam *Epko Repkovicus* jus Saxonicum provinciale primum latinè, deinde in linguam antiquam Saxoniam, *Melchior Zobelius* verò an. 1570. in Misnicam linguam transtulit, operique in tres partes divisò titulum speculi Saxonici præfixit, accessit huic jus Saxonicum Feudale; Inter urbium hoc circiter tempore conditas leges eminuerunt Colonienfes, Aquisgranenses, Lubecenses, Magdeburgenses: Magdeburgensium statutis usæ sunt Polonia, Bohemia, Marchia-Misnensis, & Lusatiensis, item Silesiæ urbes, inprimis Hallensium & Magdeburgensium Scabinorum tanta fuit auctoritas, ut responsa eorum pro lege valerint. Sæculo XIV. Speculum Svecicum, jus Francorum & Svecorum tum provinciale, tum Feudale continens, & à Saxonico speculo non multum recedens, auctore incerto, prodiit. *Conf. Conring. de orig. jur. Germ. c. 2. 11. cap. 15. 17. 19. 25. Meibom. in introd. ad hist. infer. Saxon. p. 77 et seqq. Gryphiander de Weichbildis Saxonis c. 48. num. 13. Jacobus Kollius in Lübisches Recht Buch. Mauris. in prefat. ad consilia Chilonensia.*

Receptio
Juris Ro-
mani in
Germania.

§. VIII. Postquam verò Jus Romanum, diu sepultum, in Italià reviviscere, & *Irnerius* primum, & deinde ejsus Collegæ *Martinus Gosia, Bulgarus, Jacobus, & Hugolinus* hoc jus publicè Bononiis interpretari ceperunt, ita introductis in Germania Academiis, ad normam Italicarum Scholarum constitutis Romanum jus sensim sine sensu, & potissimum sæculo XV. in Germaniam devenit, & publicè doceri cæpit; in territoriis Principum & Statuum usus Juris Romani tardius receptus est, in Frisiam, Hollandiam, Saxoniam demum XVI. penetravit, tantaq; deinceps incrementa fecit, ut ubivis in Judiciis floreat, ibique allegetur, jus verò Germanicum antiquum, ex quo tamen plurimæ ordinationes provinciales oriuntur, & infiniti casus, quotidie occurrentes, decisionem capiunt, non solum



solum planè ignoretur, sed & communis persuasio suborta sit, ac si hoc ipsum jus à Romano jure prorsus deglutitum sit. Promoverunt hanc rem Imperatorum Germanorum approbationes, dum in Comitibus Imperialibus Juris Romani usum confirmarunt, & secundum illud, nisi aliud forsan recessibus Imperii determinatum, judicari debere statuerunt, nach laut gemeinen beschriebenen Kaiserl. Rechten/pro ut dicitur in *Ordin. Cam. de An. 1500. §. Ordnen setzen*/ ex quâ tamen sanctione nihil aliud fluere videtur, quàm quod subsidiarius saltem juris Romani usus sit, ita, ut non nisi deficientibus Germaniæ moribus, & particularibus locorum statutis ad oracula ejus recurri possit, atque hoc innuunt verba, in *Ordinat. Camer. & Recessibus Imperii expressa*, daß die Assessores nach reitlichen/ erbahren und landtischen Ordnungen/ Statuten und Gewonheiten der Fürstenthümer sprechen sollen: quare alleganti jus Romanum ejus receptio probanda, non verò, uti *Schilterus* vult, adversæ parti probatio non receptionis vel abrogationis injungenda, nam in plurimis passim materiis jus Romanum nunquam receptum fuit: *Conf. illustr. Stryk. in discursu ad usum modernum. Thomasius in delineat. hist. juris §. 170. 171. Hoppius in pracogn. jur. univers. §. 7. Kulpisius diss. de vet. Germ. leg. autor.*

§. IX. Quàm conturbatè verò, si legum imperfectiorem, confusionem, obscuritatem, multitudinem, contrarietatem inspicias, ipsa ipsius juris Romani compages, ex tot diversissimorum diversas sectas, diversas doctrinas foventium Jctorum principiis confarcinata, se habeat, quamque ea ad Statum Germaniæ nostræ minimè quadret, ex ipsâ historiâ tum ante-tum post-Justinianèa evidentissimè demonstrat nondum refutatus *Dn. Thomas in tr. att. de nev. Jurisprud. ante-Justin. & dist. delineat. hist. juris, passim. Dn. Ludovici in pref. ad comp. Novell. Conf. Dn. Pres. diss. de statu jurisprud. §. 7. & de lana caprina §. 1. Quæ summus Jctus Hotomannus in Anti-Triboniano pro jurisprudentia Gallicâ adornanda contra jus Romanum scribit, hæc omnia sanè Germaniæ nostræ applicari pos-*

*Navi Juris
Romani.*



possunt; si definitiones, quæ non sunt leges, si principia; & axiomata Ethica & Politica in Jure Romano repetita, ex regulis communibus fluentia, si casus specialissimos, si rationes legum, quæ pro legibus non habendæ, si præcepta Juris Naturæ & Gentium, & quæ ex ipsa Juris Naturalis ratione spontè fluunt, ex Jure Romano demas, certè exigua portio illius Juris Romani, quod in viridi observantiâ esse dicitur, remanebit. Controversiæ publicæ, & feudales non tam secundum jura veterum Romanorum quàm Germanorum decidendæ sunt. Vana est eruditio, si juvenes iis doctrinis imbuantur, quibus saltem inania fulciuntur litigia, & quas in vitâ civili in usum deducere nequeunt, fatetur auctor de abbrevianda lite in verbis: Es seind viele Gesetze für die liebe lange weile geschrieben / immassen die Rechtsgelährten selbst gesehehen müssen/das die Helffte des Corporis Juris altväterisch Zeug/und von allen Nutzen entfernet sey.

*Defectus
interpretu
Juris.*

§. X. Accedit miseria Glossatorum, & primorum in Academiis Doctorum, quippe qui ut plurimum historicâ Statûs Romani cognitione destituti erant, ignorabant Statum Germaniæ, & præterea in genuinis Philosophiæ rationalis atque moralis principiis, quæ fulcra sunt Jurisprudentiæ, hospites deprehendebantur; non parùm verò auxit hanc rem deplorandum illud autoritatis præjudicium, dum sententias temporales atque æternæ pœnæ auditoribus intillabant docentes. Subsecutis temporibus infiniti Doctorum & Interpretum commentarii, monstrôsâ distinctionum, ampliacionum, limitationum, & diversissimarum opinionum involucra aded jurisprudentiam lacerarunt, ut neque principium, neque exitum veritatis in iis invenias, sed cum casus aliquis incidit, in tantâ traditionam diversitate incertus hæreas, nec quò te veritas, scias, ipsa, quæ tantopere commendatur *communis opinio*, aded lubrica, & aded in hac sæpius Interpretes variant, ut utraq; opinio communis dici possit, & quis omnes auctos



auctores vel legit, vel legere potest, ut de communi opinione certus sit, ipsæ quoque, quas multi urgent, *Res judicate* suo non carent defectu, valdè enim difficile est, probare, idem factum, easdem circumstantias, eademque momenta in unâ eâdemque causâ concurrere, & ex eodem fundamento decisionem capere, ne dicam vel de dissensu fermè infinito collegiorum juridicorum, etiam in territorio unius Principis, vel de frequenti observantiâ judicialis, etiam intuitu unius Collegii mutatione, imò non iniquè dixit, qui dixit, plerasque in Judicium deductas lites hodiè arbitrarias esse, quas iudex pro arbitrio suo, & prout æquitas ipsum moverit, decidere possit, semper enim pro opinione suâ aut legem, aut canonem, aut decisionem, aut praxin, aut rationem aliquam reperiet. *Burchardus in tract. de hodierna jurisprudentia, navis & remedia*, quâ tamen sententiâ nihil perniciosius.

§. XI. Ex quo, ut infinita alia, quæ hanc rem suadent, argumenta taceam, facilè constare credo, quantâ, quamque necessariâ reformatione jurisprudentia nostra egeat; postquam verò mox mox elapsûm & præsens seculum in summum reip. commodum insignem omnibus fermè disciplinis mutationem attulit, & inprimis in Jurisprudentiâ studio tot illustres, tot celeberrimos viros produxit, qui leges Romanas, Germanas, & inprimis Naturales, ex historiâ atque Philosophiâ sanâ non sine insigni successu explicare annisi sunt, quis de facie jurisprudentiâ in melius efformandâ prospera quæque sibi non promitteret? quid impediret, si Princeps aliquis uni alterique cordato & perito JCTO demandaret, ut codicem patrium summâ cum curâ & lucubratione ex optimis quibusvis autoribus construeret, atque omnes, quotquot inveni possunt, quæstiones controversas & utiles, practicas tamen brevissimè sine ullâ disputatione, auctoritatisque aut rationis allegatione decideret, quæ exindè à Consiliariis revideantur, & siquæ mutanda esse putent, sine multâ disputatione solâ votorum pluralitate colligantur, posteaque principali auctoritate confirmetur, & subditis inviolabiliter observandæ præscribantur, quid impediret? si Princeps ex systemate quo-

Consilium pro reformatione Jurisprudentiæ.



dam celebriori controversias quotidianā utilitatem spirantes extrahi, iisque vim legis tribui curaret, cæteris omnibus quæstionibus rejectis, penitusque abrogatis. Hæc tamen ita adornanda essent, ut vagum Judicantium arbitrium refringatur, & intra justos terminos coerceatur, ut ut quidem res hæc solidam juris naturalis, cognitionis statûs publici, historiæ, prudentiæ legislatoriæ, philosophiæ tum naturalis, tum moralis cognitionem præsupponit, putem tamen, hanc ipsam rem non ad magnorum & subtiliū jurisprudentiæ Doctorum subsellia, quin potius ad istos homines transferendam esse, qui sensu naturali valent, quique supra omnia Deum noscunt, & timent, ut ut non ita docti, aut monarchæ juris & subtilitatis sint; quin potius, si summo Jcto Ziglero fidem habemus, ex solidâ legum naturalium & divinarum culturâ plus jurisprudentiæ accedit, quàm ex tetricâ & spinosiore atq; anxîâ legû Romanarum contemplatione, nihil sapius ad juvandum vitæ usum pertinente, quæq; non nisi carnificina ingenii existit.

*De Potestate
Principum
legislatoria.*

§. XII. Habent Principes & sanctiores imperii status in territorio suo potestatem leges condendi, qualis potestas sensim sine sensu aucta, si antiquissima tempora respicias, ex moribus & diu continuato longævoq; usu, ex quo plurima juris publici capita hauriuntur, resultat, tantamque vim habet, ut Principes in causis privatorum non tantum Jus Civile & Canonicum prorsus abrogare, sed & prohibitu, proque utilitate reip. novas leges condere possint, ut ut iitæ leges novæ adveniant recessibus Imperii, & quamvis hi Imperii recessus singulos status per modum conventionis obligent, intelligendum hoc tamen est de iis recessuum capitibus, quæ ad publicum Imperii statum, aut ad ipsas statuum personas spectant, hæc vero sanctam justitiæ administrationem & potestatem legislatoriam, Statibus in territorio proprio notorie competentem, minime concernunt, nec dum eandem, utpote optimo & immutabili juri innixam, infringunt; Ipse Imperator & cæteri constitatus heic nullum jus aut habent, aut docere valent. Neque leges Imperii, etsi posteriores, hisce statutis derogare possunt, imo ipsa Camera secundum hæc pronunciare tenetur. Assessores enim cameræ absolute obligati sunt, ut secundum leges & honestas statuum consuetudines judicent. *dist. ord. Cam. p. 1. t. 7. Conf. pac. Monaster. art. 8. cap. Ferd. IV. art. 3. Dn. Hugo de statu region. germ. c. 3. §. 20. Dn. Coccej. jur. publ. c. 15. §. 43. seqq. Dn. Thomaf. de statuum Imperii potest. legislatoria per tot. Dn. Heronim. diss. de superior. territor. §. 2. conf. Ordinat. Maged. c. 22. §. 12.*
Deus pacis, Deus justitiæ ducat nos ad veram justitiam. Tantum.

ULB Halle

3


004 173 341



sb.







7730

15

Dissertatio Juridica Inauguralis,
Siftens
**MIXTURAM
THESIUM CON-
TROVERSARUM**

Cum
PROBLEMATÉ JURIDICO
DE REFORMANDA JURISPRUDENTIA,
QUAM
Divino annuente Numine,
EX DECRETO AMPLISSIMI ICTORUM ORDINIS,
IN ILLUSTRÍ ACADÉMIA HASSO-SCHAUMBURGICA,
PRÆSIDE

DN. HENR. ERN. KESTNERO,
Doct. & Profess. Jur. Ordin.
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

Ritè consequendis,
*Publicæ Excell. Dn. Dn. Professorum ventilationi
subjicit*
CHRISTOPHORUS COTHMAN,
Neuhusio-Paderbornensis.
In Auditorio Ictorum die 23. Octob. 1705.

RINTHELII,
Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

